

LECTIONES HYEMALES
TAM PUBLICAS, QUAM PRIVATAS,

RECTOR
ACADEM. LUDOVICIANÆ
MICH. BERNHARD.
VALENTINI

Med. D. Archiater Hasso-Darmstad.

Prof. P. Ordinarius, & Inspector admini-
strationis œconomicæ

DEO vitam viresque corporis & animi
DOCENTIBUS conservante,

Ex Præscripto Legum,
GENEROSIS atque NOBILISSIMIS

ACADEMIÆ CIVIBUS

intimat & commendat

Die XXIX. Septemb. Anno MDCCXX.

SUB SIGILLO ACAD. MAJORI.

G I E S S Æ,
Typis Viduæ Joh. Reinh. Vulpilii, Acad. Typ.

IN FACULTATE THEOLOG.

JOANNES CHRISTOPH. BIELENFELD,

Consiliarius in Sac. Suprem. Superintendens & Theol.

D. ac P. P. Primarius.

IN *Lectionibus Publicis* enodationem Difficiliorum Textuum in Epist. ad Romanos methodo exegeticâ, porismaticâ & homileticâ continuabit, juncto simul exercitio Practico concionandi: *In privatis* Theologiam Moralem Dni. Buddei, ut & Consilia Theologica, hæcenus cœpta, pertractabit. His addet neruum totius Theologiæ quasi concentratum juxta *Breviarium* Magni quondam ingenii Theologi Joannis Hulsemanni, hac quidem ratione, ut *intra privatos parietes* unus alterve Dn. Auditorum Textum ex Hulsemanno proponat, explicet & Dicta Sacræ Scripturæ applicet, postea autem, eadem Sacra Materia, *in Auditorio Publico* singulis diebus Mercurii ab horâ X. ad XII. opponendo & respondendo examinetur, adeoque omnes, præsertim Candidati Theologiæ ac Ministerii, ad scrutandam & percipiendam Veritatis Divinæ soliditatem adducantur.

JOH. BARTHOOLMÆUS RÜDIGER,

S. Th. D. & Prof. Ord.

ABSOLUTIS iis, quæ ad firmandam *thesin* spectant, prometiendo *Cursu Theologico*, nunc ad dirimendas quoque *controversias*, veteres, novas, juxta *Syllogem Rudrauffianam*, suos Auditores facili quadam manu ducet, *disputandoque & examinando*, si placet, |exercebit: ac ubi tempo-

ris

ris atque otij admiserit ratio , *Isagogicum in N. Testamentum*,
ductu sive *Oeconomiae B. D. Maji* , sive *Philologiae Glassianae* ,
auxiliante per omnia Deo , adjunget , *Symbolicumque* cer-
tis horis continuabit , aut cum *publicis* lectionibus conjunget.

JOH. GOTHOFREDUS SCHUPART,
SS. Theol. D. & Ejusdem Prof. Publ. Ord. ritè designatus,

Quamprimum huc advenorit , in omnibus Theologiae
partibus , tam *publicè* , quam *privatim* , Auditoribus
suis ex arte satisfacere studebit.

CHRISTOPH. LUDOV. SCHWARZEMANN
SS. Theol. Dr. ejusdem & Ordin. Profess.

Summi TRINUNIVS DEI sui Gratiâ Voluntateque publi-
cè præleget in Catholicae suae Theologiae primam partem ,
insignitam in specie Iacobinam ; ast privatim in Concisam
suam omnium difficultatum Resolutionem , in Apocalypsi
Theologi Johannis quæ moveri suboriturque solent , & per
singula Capita , & singulos eorundem ferè versus. Adesset
utinam addiscendi tantus ardor , quantus est docendi.

IN FACULTATE JURIDICA,

MELCH. DETHMARSUS GROLMAN,

Jctus , Consil. Hass. Darmst. Acad. Cancellarius &
Profess. Jur. Primarius.

IN Lectionibus publicis ea quæ in Constit. Crim. restant
absolvat , Collegia privata quæ habet , continuabit.
Nova

Melch. Dethmarus Grolman

Nova quoque tam publici quam privati juris, pro desidetio
 Generos. & Nobilis. Dominorum Auditorum, aperiet.

IMMANUEL WEBER / J. U. D.
 Consil. Hassiac. & Jurium Professor Publ. Ordin.

PUBLICE perget in exponendis Institutionibus, ordine ita
 ferente, initium facturus à L. III. Tit. 14. *de obligationibus.*
Privatim continuabit lectiones ad *Compendium Pandectarum*
Lauterbachij, ad Institutiones, & ad Puffendorff. *de*
Officijs. Et, dum aliqui ad *Capitulationem Imperatoris Glo-*
riosiss. CAROLI VI. Collegium desiderarunt, paratum ad
 hoc, ut & ad alia, quantum quidem tempus permittet, ap-
 rienda, se fore pollicetur.

JO. FRIDERICUS RYSEK /
 J. U. D. & P. P. Extraord.

QUANTUM per bonorum Academicorum commissam
 sibi administrationem licebit, muneri suo *publice* præ-
 esse haud desistet. *Privatim* vero denuo *Collegium Juris*
Nat. & Gent. ad Putendorffii Libellum de O. H. & C. tum
 quoque *Collegium Institutionale* inchoabit. Quin ubi justus
 Auditorum numerus expectationi suæ responderit, *prælecti-*
ones etiam ad *Pandectas* aperiet; in iisque omnibus pertractan-
 dis ita se præbebit Doctorem sedulum, ut intra præscripta no-
 bis tempora, nec sine debita tamen accuratione & diligentia,
 ea absolui & ad finem perduci possint.

Ludovici Hallensii

IN

39

❁ ❁

IN FACULTATE MEDICA.

JOH. CHRISTOPH. HERTIUS,

Med. D. hujusque Prof. & Archiater Hasso-Darmst. Prim

Ubi otium aulicum ipsi permittet versari in Academia, non deerit, si quacunque ratione Philiatorum conatus promovere poterit.

D. MICHAEL BERNHARD VALENTINI

Prof. Med. P. Ord.

Quamprimum ab onere Rectoratus Academici liberatus fuerit, *publice* Praxin Medicam profitebitur. *Privatim* Collegium in *Medicinam Nov-antiquam* aperiet, juncturus ubique *Tvonis Gaukessi* Dissertationem de *Medicina ad certitudinem Mathematicam evehenda*.

D. JOH. CASIMIR, HERTIUS,

P. P. Ordinar.

PUBLICE, quas inchoaverat præterlapso semestri hyberno, ad finem perducto Collegio anatomico, prælectiones chirurgicas, eas hora sibi consueta pomer. III. continuabit: *Privatim*, ita expetentibus Dni. Commilitonibus, anatomicis laboribus denuò vacabit.

IO. MELCHIOR VERDRIES,

Med. D. & PP.

PUBLICE Pharmacologiam, ad ductum *SAM. DALE*, præleget. *Privatim*, in *Cursu totius Medicinæ*, quem superiori semestri exorsus est, strenue perget, atque absoluta jam doctrina de morbis cognoscendis ac dignoscendis, itemque methodo & tuendi & restituendi sanitatem, necessaria
arti

artis subsidia , Diætetica , Pharmaceutica & Chirurgica exponet , ac genuinum eorum usum commonstrabit.

JO. THOMAS HENSING,

Med. D. & P. P. Extraord.

CUM Novitiorum , qui nostram Academiam nunc frequentant , Medicinæ Cultorum , utilitas , ut ab ovo , quod dicunt , Chemiam ordiantur , efflagitet : sepositâ , quâ hætenus publicè usus est , methodo , dabit operam , ut Tyronibus operationum chemicarum ordinis ante omnia explanatione , deinde productorum habitûs , ad finem physicum , medicum , metallurgicum obtinendum , doctrinâ , conceptus Chemiæ clarus infundatur. Hæc vero non , ut antè fieri consuevit , solis verbis perficiet ; Sed , quoniam *Clementia SERENISSIMI NOSRI NUTRITII nunquam satis celebranda* , facultates addidit , *Experimentis etiam publicè confirmabit. Privatim Exercitiis Physiologicis* quibus hætenus incubuit , operam dabit ; ad reliquas postea Medicinæ partes laborem translaturus. His tandem , quia hyemis frigidior aura ignium vehementiorum ferociam , ut sine noxâ feratur temperat , *docimasticum Collegium* addet.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,
Philos. Experim. P. P. Ord. & h. t. Facultatis Phil. Decanus.

Per instans semestre hyemale publice Historiam animalium Anatomicam , juxta ductum *Amphitheatri Zootomici*,

40

es, pronuper a se editi, sic explicabit, ut è structura partium genuinus illarum usus innotescat: *Privatim* captui & desiderio Dnn. Auditorum se accommodaturus erit.

MATTHIAS NICOL. KORTHOLT,

Eloqu. & Poët. Prof. Ord. Academ. Biblioth.

Praefectus.

DIE Lunae ac Martis, absoluto genere dicendi demonstrativo, ad genus deliberativum Jovis & Veneris, enucleata Ovidii elegia de nuce ad alias ejus selectiores hora matutina VIII. Deo fauente, publico labore perget: die Mercurii Bibliothecam, novis incrementis auctam & augendam, pro more aperturus. Addet *privatim* Collegium stili epistolicum & oratorium practicum, latinæ ac germanicæ facundiæ studium, uti cœpit, fideliter promoturus, operamque daturus, ut orationes, quæ componuntur, publice pariter recitentur. Quomodo præterea historiarum litterarum cultoribus adesse velit, singulari programme significabit, & in utriusque eloquentiarum cultorum desideriis explendis nihil in se desiderandum relinquet.

JOH. GEORG. LIEBKNECHT,

D. & Mathem. Prof. Ordin.

LLECTIONES Geographiæ generalis *publice* continuabit, quibus mox Geographiam Specialem, una cum elementis totius Matheseos resumendis, *privatim* addet, nec non in Astronomia practica & aliis Scientiis Studiosæ juventuti, quo usque licebit, deerit.

JO.

8
JO. HENR. MAIVS,

Antiquitatum & Linguarum Orientalium P. P.

PUBLICE in exponendo S. Lucæ Evangelio Græco perget; quo labore feliciter tergo posito, unam alteramue ex breuiloquentibus S. Pauli epistolis more suo illustrabit. Privatam vero industriam ad auditorum desideria accommodabit.

JO. MELCHIOR VERDRIES,

D. Phil. Natural. P. P.

PUBLICE Oeconomiam corporis animalis pertractabit. Privatim Introductionem suam in Physicam recentiorem, denuo explanabit.

D. JOH. CONRADUS ARNOLDI,

Logicæ & Metaphysicæ Prof. P. Ord.

Utrum, quæ restant de Fanaticismo, tum Philosophico, tum Theologico, in Lectionibus publicis hora II. a meridie, absolverit, procedet ad exponendam Philosophiam sobriam, in partibus illius sibi commissis. Privatim in Philosophia Instrumentali explicanda perget, viamque veritatis, per Logicam & Metaphysicam inveniendæ, monstrabit, inque illa, præceptis & exemplis; Theologiæ juxta & Jurisprudentiæ necessarijs, perspicue illustranda, diligenti Dnn. Auditorum desiderio & utilitati paratam locabit operam; publicis etiam ac privatis disputandi exercitijs, profectus eorum sedulo atque fideliter juvabit.

SEBASTIANUS MASSON,

Designatus Philosophiæ Pract. Prof. Publ. Ordin.

HABITA prius Oratione Inaugurali, privatim Collegia, Ethicum, Politicum ac Juris Nat. & Gentium aperire: pro Lectionibus publicis vero theses vice quaque ventilandas proponere constituit.

Augustinus. Histor. Pagan.